

442 cessionem sanctorum uberi benedictione aeternitatis circumda ut semper maneant laeti et triumphantes in pace victores. Per Christum dominum nostrum amen ».

Procedunt deinde ad confessionem beati Petri sub altare ubi procumbit super faldistorium imperator, et duo episcopi cardinales ascendunt capellam et vadunt ad sedes suas. Prior autem diaconorum ac prior presbiterorum parati descendunt ad eum atque hinc inde genuflectunt et diaconus ipse facit litaniam procumbens ad sinistram omnibus alta voce replicantibus et flexis genibus permanentibus. Finita litania surgit prior presbiterorum et super Caesarem adhuc procumbentem dicit: Pater noster, et hos versiculos: salvum fac servum tuum. R. Deus meus sperantem in te. V.: Esto ei domine turris fortitudinis. R. a facie inimici. V.: Nihil proficiat inimicus in eo. R. et filius iniquitatis non apponat nocere ei. V.: Domine exaudi orationem meam. R. et clamor meus ad te veniat. V.: Dominus vobiscum. R. et cum spiritu tuo. Oremus: Praetende quae sumus domine famulo tuo dextram coelestis auxilii ut te toto corde perquirat et quae digne postulat assequatur. Actiones nostras, quae sumus domine, aspirando praeveni et adiuvando prosequere ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur, per Christum dominum nostrum amen ». Et cum diacono his finitis revertitur ad locum suum inter alios cardinales, dum ultimae orationes dicuntur per presbyterum cardinalem, prior episcoporum cardinalium cum pluviali stola et mitra descendit ad imperatorem et simul cum duabus diaconis finitis orationibus dicit illum ad altare sancti Mauritii ubi stans cum mitra inungit brachium dextrum Caesaris et scapulas cum oleo exorcizato in modum crucis, et deposita mitra dicit: « Oremus, Deus omnipotens cuius est omnis potestas et dignitas te supplici oratione atque humillima prece deposcimus ut huic famulo tuo Carolo prosperum imperatoriae maiestatis concedas effectum ut in tua protectione constituto ad regendam Ecclesiam tuam sanctam nihil ei presentia officiant futura nihil obsistant, sed inspirante Sancti Spiritus dono populum sibi subditum aequo iustitiae libramine regere valeat et in omnibus operibus suis te semper timeat, tibique iugiter placere contendat. Deus Dei filius Jesus Christus dominus noster qui a patre Deo participationis unctus est prae participibus suis, ipse per praesentem sacri unguenti infusionem Spiritus Paracliti super caput tuum infundat benedictionem eamdemque usque

*prior cardinalis diaconorum*

*prior cardinalis presbiterorum*

*dicunt litanie*

*dicunt pater noster et aliae orationes*

*prior episcoporum cardinalium*

*altare Sancti Mauriti*

*ungitur imperator*

*oratio primi episcopi cardinalis*